

*Si vitam spectes Hominum, si deniq; Mores,  
Artem, Vim, Fraudem, cuncta putes agere.  
Si propius spectes, Fortuna est arbitra rerum;  
Nescis, quam dicas, & tamen esse vides.  
At penitus si introspicias, atq; ultima primis  
Connectas, tantum est Reſtor in orbe DEUS.*

Hinc Pietas prima lex esto, & cum in hoc corrupto ſtatu ſub vanâ Fortunæ perſuaſione ſæpius rapiamur ad ipſum infortunium; in auxilium vocetur divini Numinis directio, ut ad ea trahatur deſiderium, quæ verè ſalutaria & bona ſint; ſic Precibus non minus quàm Conſiliis ſtabit noſtra Felicitas.

9.

*Arrogantiam vero & Inſolentiam fugiamus, ne Prudentiæ ſuæ nimium innixus Animus ſe extollat, & omnia temerariè tentet. Nam hoc ipſo non Fortunæ & Felicitatis, ſed infortunii potius Architeſti evademus, quod ſaluberrimè monuit Verulamius, de Augm. Scient. L. VII. C.2.*

10.

Quibus præſuppoſitis, nunc propius attingenda erit altioris Indagini Quæſtio: *Si nimirum Homo Faber Fortune ſuæ pronunciari debeat, quenam ſit illa Fortunam fabricandi Prudentia?* Qui cum primarius Diſſertationis noſtræ ſcopus ſit, dabimus jam operam, ut in ipſum Fortune fabricandæ Proceſſum pro ingenii modulo inquiremus penitus.

II. Ante-